



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 2. Quotuplex sit intellectio humana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

quid cognitum per intellectionem: certè non de verbo formali, de quo nos in præsentì tractamus; sed de verbo obiectiuo loqui videtur, appellans videlicet verbum conceptum obiectiuum, quem de re infensatà formamus medio phantasmate sensibili, in quo, illam concipimus, prout ostendimus inferius *quæst. 3.* Talis enim conceptus obiectiuus non datur à parte rei, sicut in mente nostra, estque similitudo obiectiui rei intellectæ, & per externum verbum vocale significatur; quæ sunt conditiones verbi mentalis, de quo loquitur in dictis locis S. Th. vt in *eà quæst. citatâ* relatis eius verbis probabimus. Pari ratione interpretandi sunt August. *lib. 15. de Trin. cap. 15.* & Ansel. in *Monol. cap. 32.* dum significant verbum internum nostrum cogitatione produci de verbo obiectiuo, non de formali, quod quidem, vt dicitur cogitatione concipi, seu formari, dici etiam potest cognitione produci, nimirum intentionaliter non physice. Dum autem Arist. *lib. 2. de Anim. text. 60.* dicit obiectum intellectus esse intra animam; obiectum verò sensus tantum esse extra illam; duntaxat vult intellectum per speciem in memoria asseruatas posse obiecta vniuersalia etiam, quæ non existunt concipere: vim tamen sensus, nisi à singulari obiecto verè extra se existente moueri ad sentiendum non posse.

27. Iam verò propositio data sic potest à ratione firmari; verbum mentis ex conceptu verbi debet esse manifestatiuum obiecti respectu eius; ad quem dirigitur, aut profertur, vt patet in verbo vocali; vnde suam trahit verbum etymologiam vt dictum est: sed nihil est, quo intelligenti creato, dum sibi mentaliter loquitur, interius manifestetur obiectum, nisi cognitio; vt constat ex superius dictis: ergo nihil est præter cognitionem, quod habeat in nobis rationem verbi mentalis. Quomodo autem de verbo diuino aliter sit necessario philosophandum, in tract. de Trin. Deo dante ostendimus. Videatur interim Vazq. 1. *disputatio. 1. 2. sub finem.*

28. Diximus autem in propositione conceptui verbi addendum esse supra rationem cognitionis respectum prolatis, siue producti; quia ex vna parte cognitio non dicit in suo conceptu esse productam à cognoscente, vt patet in cognitione Dei iuxta superius stabilita. Ex aliâ verò parte cognitio non producta non potest propriè dici verbum; quia verbum non est, quod non profertur, siue producit à loquente. Quo iure omnes pene Theologi contra Duran. à cognitione essentiali Dei veram rationem verbi relegant.

29. Ex dictis est inferendum, quid sit loquutio, & in quo consistat. Etenim loquutio duobus modis usurpatur. Primò pro ipsâ rei manifestatione: quo sensu dicere solemus loqui homines res vanas, futes, aut magni ponderis &c. Secundo pro prolatione verborum. Quâ acceptione videtur vltus Regius Plantes cum dixit *psal. 44. Eructauit cor meum verbum bonum*; id est prolatis, siue loquutum est, sapèque dicimus homines loqui, seu dicere verba impudica, honesta, iucunda, &c. Dicò ergo loquutionem priori modo sumptam nihilo prorsus differre à verbo; eâ enim ratione verbis ipsis formaliter loqui dicimur siue vocaliter, siue mentaliter: loquutionem verò altero modo acceptam in solâ productione verbi consistere; quia profertur verbum nihil est aliud, quam illud producere, siue in lucem edere. Vnde in hoc sensu lo-

Pharus Scient. Tom. I.

quutio mentalis erit actio, quâ producitur species expressa, quæ est ipsum verbum nostrum, vt diximus. Itaque loquutio prioris acceptionis à loquutione posterioris distinguitur; quod illa de connotato solum dicit actionem causatiuam verbi: sicut illam itidem dicit verbum. Hæc verò in eiusmodi actione vnicè, & directe consistit.

Rogabit aliquis; vtrum non solum in intellectu; sed etiam in sensibus verba sint admitenda? Respondeo, si rem ipsam spectemus, nihil obesse, quominus analogicè saltem possent admitti: propriè tamen, & iuxta communem, receptumque vsum conceptus duntaxat facultatis rationalis solent verba appellari: sicut, & voces dearticulate ab ente rationali nascentes.

Hæc dicta hucusque de verbo mentis nostræ formali, quod tanquam formalis, expressaque similitudo, siue representatio rei intellectæ, ipsam intellectui notificat: de quo potissimum impræsentiarum tractant Doctores. Addendum tamen est phantasma illud sensibile, in quo tamquam in quodam substituto rem infensatam, me quidem iudice, intelligimus iuxta doctrinam tradendam *quæst. 3.* non abs iure verbum internum obiectiuum vocari posse (prout suspicor à S. Th. vocatum locis nuper citatis, de quo latius in eâ quæstione). Quoniam per illud etiam suo modo notificatur intellectui res intellectæ, quinimo quantum subrogatur, siue substituitur pro illâ, plasmam formale verbum videtur verbo vocali assimilari.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit intellectio humana?

EAS intellectionis humanæ diuisiones, eamque membrorum diuidentium explicationem exhibebimus in præsentì quæstione, quæ ad viam sternendam sequentibus videbuntur conferre. Cæteris quibusque relictis ad propria loca.

Diuisio 1.

Ad tria capita reuocantur omnes humanæ mentis intellectiones; scilicet ad apprehensionem simplicem, iudicium, & discursum. In quæ subinde tria membra intellectio ipsa sumpta vniuersè primò diuiditur.

Apprehensio simplex dicitur actus ille, quo noster intellectus simplici quodammodo in obiectum collimat, veluti illud aspiciendo; nihil tamen circa illud determinando: ad eum ferè modum, quo oculi nostri obiectum sibi propositum aspiciunt. Dicitur *apprehensio* (tametsi hoc nomen cuiuslibet cognitioni commune sit). Primò, quia species imperfectiores, qualis est hæc, sibi speciatiim assolent nomen generis vendicare. Secundo, quia obiectum apprehendere, siue prehendere propriùs aptatur ei cognitioni, per quam veluti primò obiectum capitur, & ad potentiam trahitur, eique fistitur: quod per hanc primam nostri intellectus operationem

E 3 apprimè

apprimè præstatur. Per eam enim obiectum veluti ad iudicem ad mentem nostram fertur, eique proponitur, representaturque, ut circa illud sententiam ferat per iudicium. Dicitur autem *simplex*, tum, quia simplici modo in suum obiectum tendit, ut explicauimus. Tum etiam, quia illud propriè neque componere dicitur, neque diuidere, ut iudicium.

34 Quippe iudicium illa operatio mentis est, per quam intellectus noster instar cuiusdam indicis de obiecto sibi proposito fert sententiam, decernitque circa illud esse, aut non esse, affirmando videlicet, aut negando; atque idcirco componendo, vel diuidendo, prout explicabimus *inferius* q. 4. Ex quo patet iudicium valde in modo tendendi à simplici apprehensione differre. Hæc enim, ut dicebam, instar cuiusdam simplicis, lenisque obiecti aspectus est. Iudicium verò est firma quædam mentis suasio, seu persuasio, per quam ipsa mens ad obiectum ita suauitè determinatur, ut putet, sibi per suadeat illud esse, aut non esse reuera; sic se habere, vel secus. Quod est de obiecto proposito veluti sententiam concipere, siue proferre. Vnde iudicium intellectus est per se, & formaliter suauis, seu persuasiva. Simplex apprehensio non item, sed summum interdum virtualiter, iuxta dicenda paulò post *dis. 4.*

35 Discursus denique propriè, & strictè sumptus ea operatio est, qua intellectus noster ex vna, vel pluribus veritatibus cognitis, seu per iudicium deprehensis, ad aliam cognoscendam, siue iudicandam transcurrit ductus quidem connexionem, qua videt id, quod prius iudicat (& antecedens appellatur) cum eo, quod ex illo infert (& consequens dicitur) connecti. Vnde in discursu duo minimum iudicia interueniant, necesse est; alterum, quo iudicetur expresse antecedens, & tacitè, seu virtualiter connexio eius cum consequente; alterum à priori oriundum, quo iudicetur ipsum consequens. Possunt tamen, & sæpe solent ex parte antecedentis plura iudicia interuenire, quia ex pluribus illud coalescit veritatibus distinctè, & singillatim iudicabilibus; prout plenius explicabo *infra* q. 5. loquor autem de discursu propriè, & strictè sumpto, qualis est solum illatius, ut excludam eas transitiones, quibus intellectus noster, vel reminiscendo, vel aliter quàm inferendo ex vno obiecto cognito ad aliud cognoscendum potest, atque etiam solet transire: quæ quidem improprie, & lato modo possunt appellari discursus, atque etiam solent. Porro esse in nobis hoc triplex cognoscendi genus, nemo est, qui non manifestissime experiatur.

36 En potissimam ex immediatis diuisionibus intellectus humanæ sumptæ vniuersum. Sequitur modò, ut singula ipsius membra in suas quoque species subdividamus: datur postea alias diuisiones, quæ aut omnibus illis, aut aliquibus communes sunt.

Diuisio 2.

37 Apprehensio simplex alia est constituens hypothesein; alia non constituens hypothesein.

Quæ quidem ex modo tendendi imprimis diuersæ sunt. Cum enim ita concipimus. *Si Petrus existeret, moueretur.* Dubium non est, quin diuerso modo apprehendamus Petri existentiam, atque cum dicimus. *Existencia Petri est possibilis.* Et prima quidem harum apprehensionum iudicio dum-

taxat hypothetico inferuit, ponendo in hypothesei conditionem, sub qua illud circa obiectum conditionatum veritatem secunda, quæ latius patet, tum hypothetico, tum cathetico. In eorum enim ministerium data est intellectui nostro, tum, ut obiecta iudicanda proponat, tum, ut terminos relationum concipiat, quibus ignotis, illa nec iudicari possunt, nec concipi. Differunt præterea apprehensio constitutiva hypotheseis; quod prima, veluti annullans iudicium circa solum obiectum significabile per verbum, quod proprium est obiectum iudicij iuxta dicenda q. 4. versari potest (nihil enim sine verbo potest à nobis poni in hypothesei, ut experientia constat.) Cum tamen secunda in obiecta tam nominum, quàm verborum tendere valeat, & vniuersum in omnia omnino, quæ ab intellectu humano concipi possunt. Vnde quemadmodum iudicium, sic apprehensio constituens hypothesein in affirmatiuum suo modo, & negatiuum diuidi potest. Alia enim est, quæ adstruendo, siue ponendo facit hypothesein, ut cum dicimus. *Si Petrus existeret, moueretur.* Alia, quæ auferendo potius, siue remouendo facit illam: ut cum dicimus. *Si Petrus non existeret, non moueretur.* Quo iure distinctionis gratia, prima positiua: secunda remotiua dicitur. De quibus iterum erit sermo q. 4.

Diuisio 3.

Rursus apprehensio simplex alia est directa, siue recta; alia indirecta, siue obliqua.

Directam, siue rectam appello eam, quæ directè attingit suum obiectum: indirectam autem, siue obliquam, quæ illud attingit oblique. Attingit autem directè, quæ veluti recta via tendit in illud, quasi per se, & primario procedens ab intellectu intentione. Oblique autem, quæ in illud tendit veluti obiter, & ad latus, quasi consequenter, & secundario ab intentione intellectus nascens. Et quoniam, quod intellectus noster intendit primario concipere, est actus significabilis per verbum, utpote qui proprium obiectum est sui iudicij potissimè suarum omnium operationum, iuxta dicenda latius *infra* q. 4. necnon subiectum supposito verbi respondens, utpote, cui talis actus per se venit attribuendus, aut detrahendus ipso iudicio; idcirco actus significabilis per verbum, eundemque actus subiectum, semper ab intellectu nostro concipiuntur directè. Et ideo apud Grammaticos in nominibus solus casus nominatiuus dicitur rectus; ceteri verò obliqui, quia in solo nominatiuo, non item in aliis ponitur suppositum verbi. In verbis autem nullus datur casus obliquus. Quocirca iudicium nostrum semper est cognitio directa, quia per se dumtaxat attingit significatum verbi, ut ostendemus *q. citata.* Inter simplices verò apprehensiones illæ sunt directæ, quæ, vel attingunt significatum verbi, quæ tale, id est, conceptum eo modo, quo significatur per verbum; vel ita attingunt quemvis alium conceptum, ut possit illi sic apprehensio attribui, aut detrahi per iudicium significatum verbi. Reliquæ verò sunt obliquæ, quibusque obliquis nominibus, aliisve signis æquivalentibus correspondent.

Itaque apprehensio directa, & obliqua imprimis differunt inter se ex diuersis modis tendendi in obiecta, quos citra dubium habent. Deinde differunt, quod apprehensio obliqua suapte natura supponit directam, cum eaque subinde connectitur, nec

nec sine ea potest existere. Sicut in locutionibus casus obliqui supponunt rectos, nec sine illis constare possunt: cum tamen e contra, apprehensio directæ bene possit sine obliqua subsistere. Nihil enim vetat me apprehendere aliquid directè, quin aliud quidpiam apprehendam obliquè: at vnum apprehendere obliquè, quin aliud apprehendam directè, nequaquam possum: apprehensio enim obliqua sine aliquali comparatione vnius cōceptus obiectiui ad aliud contingere nullo modo potest. Vnde, vt in plurimum apprehensiones obliquæ circa terminos relationum, qui etiam sunt comparationum, versantur, non tamē semper, quia & possunt termini relationum directè concipi, vt enenit, cum terminus, & relatio ex æquo concipiuntur, siue æquē primò: & possunt alij conceptus, qui non sunt termini relationum concipi obliquè; vt contingit quoties aliquid absolutum comparatiuè ad aliud concipitur, quod passim fit, prout in concretis adiectiuis, in aliisque huiusmodi connotatiuis conceptibus cernere licet.

Diuisio 4.

40 Præterea simplex apprehensio alia est virtualiter suauis; alia verò secus.

Dico virtualiter suauis eam, quæ per se immediatè valet in intellectu nostro generare iudicium. Eiusmodi sunt apprehensiones simplices tum obiectorum singularium, quæ per experientiam immediatè nobis notescunt: tum principiorum vniuersalium scientiarum humanarum, quæ ex terminis ipsis sunt à nobis immediatè iudicabilia. Cæteras autem, præter has, non suauis virtualiter voco. Itaque apprehensio simplex, quæ per speciem propriam obiecti sensibilis deriuatam à sensu externo modo supra explicato *disp. 1. q. 3.* gignitur in intellectu nostro, dum actu per sensum externum tale obiectum sentitur, vim habet cauendi in ipso intellectu iudicium de existentia eiusdem obiecti. Tum iudicium de distinctione, tum de dissimilitudine eius ab alijs, & alia huiusmodi; interueniente tamen insuper vii specierum alienarum, prout explicabimus *inferius q. 3.* Et quoniam post transactam externam sensationem, adhuc potest intellectus noster obiectum sensatum apprehendere per propriam ipsius speciem in memoria relictam, quin possit vi talis apprehensionis determinari ad iudicandum illud existere de præsentia, aut aliud quidpiam ei conuenire, prout in statu actualis existentia; vt fuit determinatus per primam, estò possit ad iudicandum illud antea extitisse. Ideo videtur necessariò dicendum apprehensiones obiectorum sensatorum primarias ab apprehensionibus eorumdem memoratiuas ex modo tendendi discriminari. Dicit enim non potest eas solum distinguere extrinsecè, quatenus primariæ connotant externam sensationem actu existentem; memoratiuæ verò non item; vt sic enim dicendum esset intellectum ad iudicandum de existentia obiecti præsentis non solum per apprehensionem propriam; sed etiam per sensationem externam talis obiecti immediatè determinari, quod falsum est: tum quia sensatio externa non est propositio obiecti proportionata intellectui, & aliter, quam per modum propositionis obiecti, vt determinat propria intellectus apprehensio, ad eius iudicium determinare nequit, vt constat. Tum, quia si Deus eandem, quam externa sensatio progignit in intellectu apprehensionem obiecti sensati, per se produceret, aut con-

seruaret sublata externa sensatione: eadem citrà dubium iudicia formare posset homo de tali obiecto, quæ format sensatione externa existente. Tum denique, quia pariter dicendum esset intellectum non per solum apprehensionem memoratiuam obiecti antea sensati determinari ad iudicandum illud antea extitisse, sed insuper per sensationem externam eius præteritam, quod tamen est absurdum; quia sensatio, quæ iam non est, nequit per modum propositionis obiecti, imò neque aliter determinari ad iudicandum intellectum nostrum, vt constat. Apprehensiones etiam phantasmatum sensibilium fictorum à Phantasia, nunquamque ab homine sensatorum per sensus externos, ex modo etiam tendendi videntur differre ab apprehensionibus, tum primariis, tum memoratiuis obiectorum verè sensatorum: siquidem cum vtrarumque obiecta sint eiusdem naturæ, hæc nihilominus intellectum determinare valent ad iudicandum de existentia, de aliisque prædicatis, prout actu existentibus suorum, sicuti diximus illæ verò non item.

Venio ad alias apprehensiones virtualiter suauis obiectorum ex se vniuersalium, quæ sub experientiam non cadunt. Ideoque à nobis non prout in statu existentia absolute, sed prout in statu obiectiui iudicabilia sunt, iuxta doctrinam postea tradendam. De quibus pariter est dicendum vim habere ad determinandum per se intellectum, vt iudicet ita se habere id, quod illi proponunt, vt satis superque cunctis notum, & exploratum est.

Cæterum, quia passim contingit, vt ex duabus cuiusvis generis propositionibus obiectiuis eodem omnino modo per simplices apprehensiones propositis, altera per se immediatè sit iudicabilis ab intellectu nostro: altera verò minimè, necessariò restat dicendum; apprehensiones virtualiter suauis à non suauis non semper ex diuerso modo tendendi, sed sæpè etiam præcisè ex parte obiectorum discriminari. Quod enim vna propositio obiectiua immediatè à nobis sit iudicabilis, alia verò non item: non inde nascitur vniuersè, quod prima diuerso modo ac secunda apprehensa sit; sed sæpè etiam inde, quod prima suapte naturâ sese intellectui nostro producit: Secunda verò minimè. Cum quo stat bonitatem apprehensionum multum conferre ad iudicandum obiectiuas propositiones immediatè ex terminis apprehensis, quia fieri poterit, vt aliqua earum ex terminis iudicari non possit, si imperfectè illi, & minus idoneæ sint apprehensi, & possit, si melius, aut aptius, prout oportet apprehendantur. De quibus omnibus in sequentibus plura dicenda sunt.

Mitto modò alias diuisiones apprehensionis simplicis, quæ etiam iudicio sunt communes; de quibus postea, & pergo ad diuidendum iudicium.

Diuisio 5.

Diuiditur autem iudicium primò in affirmatiuum, & negatiuum.

Affirmatiuum est, quo aliquid affirmatur de aliquo, vt cum dicimus: *Deus existit*. Negatiuum verò, quo aliquid negatur de aliquo; vt si dicamus: *Deus non peccat*. Porro id, de quo aliquid per iudicium affirmatur, aut negatur, subiectum dicitur. Id verò quod de tali subiecto aut affirmatur, aut negatur, prædicatum vocatur, iuxta dicenda latius *q. 4.*

Diuisio 6.

45 Deinde iudicium est diuidendum in absolutum, seu categoricum, & conditionatum, seu hypotheticum.

Absolutum, seu categoricum dicitur illud, quo absolute, & nulla facta hypothese, aliquid indicatur de aliquo aut affirmatiue, aut negatiue, vt: *Deus existit. Deus non peccat.* Conditionatum verò, seu hypotheticum illud vocatur, quo aliquid affirmatur, vel negatur de aliquo, non absolute, sed sub aliquâ conditione, seu sub aliquâ facta hypothese, vt cum dicimus: *Si Petrus curreret, moueretur. Si Iudas non esset auarus, non esset proditor.* Iudicium autem hypotheticum speciatim tot insuper modis diuidi potest, quot propositio conditionata tum obiectiua, tum formalis, iuxta diuisiones huius tradendas *disp. 19.*

46 Quo iure aliud erit purè coniunctiuum, aliud illatiuum &c. Purè coniunctiuum vocatur, quo indicatur vnum obiectum, vt subest alteri supposito per hypothesein citra omnem huius erga illud tum influxum, tum connexionem. Causale autem dicitur, quo indicatur vnum, vt subest alteri supposito per hypothesein, innuendo tacite hoc in illud aliquem influxum habere. Illatiuum denique appellatur, quo indicatur vnum, vt subest alteri supposito per hypothesein, innuendo etiam tacite, hoc cum illo habere aliquam connexionem. Vnde patet potissimum munus cuiusvis iudicij conditionati esse iudicare coniunctionem conditionati cum conditione: qualem dumtaxat indicat, quod purè coniunctiuum vocamus, tacite insuper iudicantibus alijs, causali quidem influxum conditionis in conditionatum; illatiuo autem connexionem illius cum hoc. De quibus omnibus *loco citato* plura dicenda sunt. Potest amplius præterea diuidi iudicium hypotheticum, totidem ferme modis atque discursus noster iuxta diuisiones huius tradendas paulo post, vt ibi notabimus. Quod modo satis sit indicasse.

Diuisio 7.

47 Præterea iudicium in vniuersum aliud est determinatum; aliud vagum, seu disiunctiuum.

Determinatum est illud, quo de subiecto determinato prædicatum determinatum aut affirmatur, aut negatur; idque vel conditionatè vel absolute, vt in exemplis supra positis cernere licet. Vagum autem, seu disiunctiuum est, cuius vel subiectum, vel prædicatum, vel vtrumque vagum quidpiam, siue disiunctum multorum obiectorum est; vt: *Aliquis homo est albus. Petrus, vel Ioannes currit. Petrus currit, vel legit. Petrus currit, vel Ioannes legit.* Similiter, si *Rex venisset, aliquis homo curreret:* aut *Petrus, vel Ioannes curreret:* aut *Petrus curreret, vel Ioannes legeret &c.* Potest insuper iudicium hypotheticum esse disiunctiuum, aut ex parte solius conditionati, vt in exemplis positis: aut ex parte solius conditionis, vt: *Si Rex, vel Regina venisset, Petrus curreret;* aut ex parte vtriusque. Vniuersaliter enim omnes termini, siue conceptus obiectiui in quouis iudicio, quauis ratione interuenientes iuxta diuisionem terminorum tradendam *disp. 18.* vel determinati esse possunt, vel vagi, siue disiunctiui. Quotiescumque enim aliquis terminus siue directè, siue oblique, aut ex connotato, quouis modo pertinet ad iudicium, vagus, seu disiunctiuus est, nequit non ipsum iudicium vagum, seu disiunctiuum euadere, quâ parte per illud talis terminus tacite saltem, seu virtualiter indicatur, iuxta doctrinam vniuersalem tradendam. *g. 4. cons. 5.* Quocirca hæc diuisio etiam apprehensioni simplici videtur communis: estque reuera, vt ego opinor, quia tamen id controuersiam habet, putantibus multis non esse possibilem apprehensionem simplicem de obiecto vago, seu disiunctiuo; sicut possibile est iudicium, idè illam speciatim feci circa iudicium, acturus *Diuis. 10.* de intellectione vagâ vniuersæ. Quemadmodum, & de alijs diuisionibus, in quibus cum reliquis intellectiōibus conspirat iudicium, inferius mihi agendum est. Pergo modò ad discursum.

Diuisio 8.

Discursus humanus in omnia membra mox recensenda potest, & debet diuidi secundum rectam scientiæ methodum. Quicquid putetur vulgo in oppositum.

Enimverò Recentiores non pauci putant, omnem discursum humanum sub vno syllogismo mentali contentum esse; & consequenter discursum vniuersæ sumptum eadem omnino, non plures diuisiones, ac syllogismum subire posse. Ita *Arriag. disp. 15. Logica sec. 1. Ouid. contr. 9. Logi. par. 1. & alij.* Cum tamen *Arist. sæpè, & alij Philosophi* communiter argumentationem, quæ discursui mentali respondet, in syllogismum, Enthymemam, inductionem, & exemplum celebri diuisione diuiserint. Videatur *Philosophus lib. 2. Prior. cap. 23. & lib. 1. Posteriorum cap. 1. & lib. 1. Topic. cap. 10. & lib. 1. Rhet. ad Theodestem cap. 2.* cuiusque interpretes *ibidem.*

Ego, vt ostendam, quàm pluribus insuper diuisionibus discursus humanus sit diuisibilis, suppono (quod antea iam tetigi) intellectum nostrum non temerè, aut casu, aut voluntatis arbitrio ex vno obiecto cognito ad aliud cognoscendum induci; sed id potissimum oriri ex ipsâ obiectorum naturâ, aut verâ, aut apparente. Quemadmodum enim voluntas ab obiecto cognito allicitur, vt illud appetat, ita intellectus ab obiecto cognito per vnum iudicium excitatur, & trahitur ad cognoscendum, & iudicandum aliud. Illud autem obiectum prius cognitum ad cognoscendum aliud mouet, quod cum eo aliquo modo connexionem concipitur. Dicitur autem cum alio connexionem in vniuersum id, quod cum alio quoad esse suapte naturâ coniunctum, & quasi colligatum est: ita quidem, vt si sit primum, subinde esse etiam secundum, aliquâ ratione sequatur. Id autem, quod cum alio connectitur respectiue ad discursum nostrum, antecedens vocatur, consequens autem id, cum quo aliud connexionem est, vt iam etiam notauimus.

Quoniam igitur, tam antecedens, quàm consequens, aut simplex propositio obiectiua vno iudicio iudicabilis esse potest, aut aggregatum ex pluribus obiectiuis propositionibus pluribus iudicijs iudicabilibus. Tum tam antecedens, quàm consequens, aut potest esse positium, aut negatiuum, aut si sit complexum mixtum ex positio, & negatiuo, conficitur tam antecedens, quàm consequens nostri discursus quinque modis compingi posse. Potest enim esse aut simplex positium, aut simplex negatiuum, aut complexum positium, aut complexum negatiuum, aut complexum mixtum. Ex quibus terminis combinatis, iuxta regulas combinationum

nationum tradendas à nobis suo loco viginti quinque omnino collectiones, seu combinationes resultant, quæ totidem sunt diffusæ humani diuersi diuersitate desumpta ex parte obiectorum. Primum namque potest esse connexum antecedens simplex positium cum consequente simplici positio. 2. simplex positium cum simplici negatio. 3. simplex positium cum complexo positio. 4. simplex positium cum complexo negatio. 5. simplex positium cum complexo mixto. 6. simplex negatium cum simplici positio. 7. simplex negatium cum simplici negatio. 8. simplex negatium cum complexo positio. 9. simplex negatium cum complexo negatio. 10. simplex negatium cum complexo mixto. 11. complexum positium cum simplici positio. 12. complexum positium cum simplici negatio. 13. complexum positium cum complexo positio. 14. complexum positium cum complexo negatio. 15. complexum positium cum complexo mixto. 16. complexum negatium cum simplici positio. 17. complexum negatium cum simplici negatio. 18. complexum negatium cum complexo positio. 19. complexum negatium cum complexo negatio. 20. complexum negatium cum complexo mixto. 21. complexum mixtum cum simplici positio. 22. complexum mixtum cum simplici negatio. 23. complexum mixtum cum complexo positio. 24. complexum mixtum cum complexo negatio. 25. complexum mixtum cum complexo mixto. Porro syllogismi affirmatiui artis vulgaris in connexionione cuiusdam antecedentis complexi positui cum consequente simplici positio nituntur. Syllogismi verò negatiui eiusdem artis in connexionione cuiusdam complexi mixti cum simplici negatio. In reliquis, autem connexionionibus commemoratis totidem genera discursuum fundari posse necessarium est; si tamen ex omnes subsistant, ut verè citra dubium subsistant; quod facile esset demonstrare iterum discurrendo per singulas, & subiungendo exempla: ne tamen prolixus videar, hanc operam legenti committo, si veritatem hanc experiri velit.

51 Et quoniam connexio antecedentis cum consequente, aut metaphysica esse potest, aut physica, aut moralis, iuxta diuisionem connexionionis latius tradendam *dispositio* 14. Moralique suos gradus habet, infimum, medium, & supremum: nam alia probabilitatem solum inducit, alia morale certitudinem, alia certitudinem physicam, prout magis ibi declarabimus. Iterum, quilibet ex recensitis discursibus in quinque membra diuidi potest, iuxta quinque istas differentias connexionionum, in quibus potest nisi, suntque subinde iam discursus diuersi 125. Tot namque produciunt 25. multiplicati per 5.

52 Discursus insuper de antecedente complexo in duplici insuper sunt differentia valde notanda. Alij, in quibus omnes partes antecedentis sumptæ dumtaxat indiuisim inferunt consequens, eo quod connexio, quam habent cum consequente, tantummodo cõpetit illis acceptis indiuisim, seu collectiue: minime verò diuisim, seu distributiue consideratis. Quo pacto præmissæ syllogismorum artis cõmunis inferunt conclusionem. Alij verò discursus de antecedente complexo sunt: in quibus partes antecedentis diuisim sumptæ inferunt consequens, eo quod singule seorsim aliquam habent connexionionem cum illo: ex quibus omnibus partialibus connexionionibus veluti intensior, firmiorque singulis euadit totius antecedentis connexio. Hoc modo inferunt consequens plures coniecturæ, plurave hominum testi-

monia posita pro antecedente. Proptereaque, quod plura accedunt, eò euadit firmior illatio.

Potest præterea diuidi discursus humanus ex parte euidentiæ, certitudinis, probabilitatis, veritatis, aliarumque huiusmodi proprietatum, & contrariarum tam antecedentis, quam consequentis, quam illationis in connexionione antecedentis cum consequente fundatæ, comparatorum inter se. Quo penè in immensum excreseunt discursus nostri differentia: ut quisque faciens exacte combinationes ad normam præcedentium perspicieret. Qui nihilominus omnes discursus inuicem differentes congruenter reduci possunt ad quatuor illa vniuersalissima capita ex Aristotele supra cõmemorata paulo tamè aliter intellecta, quam vulgò assolet. Ad syllogismum enim sunt reducendi omnes discursus, in quibus ex antecedente complexo ex duabus tantum propositionibus obiectiuis, indiuisim inferunt consequens. Cuiusmodi sunt syllogismi fortis communis, atque etiam alij aliarum artium syllogizandi, quas illi adijci posse mihi exploratum est, prout ostendo *suo loco*. Ad Enthymema autem reuoco omnem discursum, quo ex antecedente simplici quodlibet consequens colligitur vi connexionionis, quæ tale antecedens per se præcisè, quin aliud quidpiam supprimatur, vel suppleatur, cum tali consequente connectitur. Cuius generis est discursus ille, quo ex conuertente propositione conuersa inferunt à Dialecticis: tum ille, quo ex existentia causa inferunt à Physicis effectus, aut vice versa, & alij huiusmodi, qui passim obuij sunt in scientijs humanis; ut plane constat, quam fecè vulgò erratur à plurimis, qui existimant, affirmantque in omni enthymemate duabus solum propositionibus constante, semper subintelligi tertiam; ex quâ, & ex illis syllogismus coalescit. Etenim vnicam obiectiuam propositionem frequentissimè per se præcisè absque supplemento aliquo cum aliâ connecti, omnino indubitabile est. Quo casu ex primâ solâ per propriissimum enthymema inferunt secunda. Quin imo, si quando propositio, quæ exprimitur aliâ subintellectâ indiget, ut connectatur cum consequente, tum quidem discursus, quo ex propositione expressâ, & subintellectâ colligitur consequens, improprie dicitur enthymema. Est namque syllogismus tacitus, ad classemque subinde spectat syllogismorum. Porro sub enthymemate continetur exemplum, cuius nihilominus Aristoteles specialem fecit mentionem; quod argumentatio quedam est ratione materiæ valde transcendentalis, fundatur enim in similitudine, seu analogiâ rerum, cuius campus latissimus est; cuius energia in scientijs humanis mirabilis, ut vberius etiam monstro *suo loco*. Tandem ad inductionem latè sumptam refero omnem argumentationem, siue discursum, ubi ex pluribus quam ex duabus propositionibus pro antecedente positis siue diuisim, siue indiuisim, nec non qua ex duabus diuisim inferunt consequens.

54 Ceteram, uti omnia iudicia, quibusuis verbis respondentia alioquin inter se diuersa formaliter per æquiualentiam possunt reduci ad iudicium, verbo substantiuo esse respondens, prout explicabimus *inferius quæst. 4.* propter mirabilem transcendentiam identitatis, & distinctionis rerum. Ita ob eandem rationem omnis discursus noster per æquiualentiam, & iudiciorum transmutationem, aut additionem, tandem reduci potest ad syllogismum artis communis: utpote, qui in transcendente identitate, atque distinctione rerum fundatur. Quo iure excusari quodam modo possent, qui omnem omnino

nino discursum humanum ad vnum syllogismum reducunt, non tamen satis; quoniam eiusmodi reductio per æquivalentiam non tollit esse plures discursus naturā suā à syllogismo dicto diuersos. Quæ admodum etiam iudicia plura diuersa sunt ab eis, quæ tendunt in identitatem, aut distinctionem extremorum; Tamen ad hæc cætera omnia æquiuallenter reuocentur, vt *loco citato* videbimus.

55 Hæc satis modò de diuisione discursus, quæ ex dicendis in sequentibus ampliùs constabunt. Pergo ad diuisiones, quæ restant intellectus in communi, vnum ante annotando. Quot modis discursum diuisimus, totidem propositionem conditionatam illatuiam diuidi posse; vt pote, quæ valde, quod ad rem attinet, Discursui assimilatur, iuxta dicenda *infra*, q. 5. *hypoth.* 1. eadēque fermè diuisiones propositio conditionata non illatiua, seruata proportionē, subire potest.

Diuisio 9.

56 Porro intellectio sumpta vniuersè alia directæ est, alia reflexa.

Directa dicitur, cuius obiectum aliud quid est ab eiusdem intellectus intellectiōne. Reflexa verò, quæ intellectiōnem eiusdem intellectus pro obiecto habet: quoties enim intellectus suam aliquam intellectiōnem intelligit, supra illam, tanquam supra proprium actum reflecti dicitur. Vnde constat primò, vt aliqua intellectio propriè reflexa dicatur, non satis esse ferri illam in aliam intellectiōnem, vt in obiectum, nisi ambæ sint propriæ actus eiusdem intellectus. Secundò constat, bifariam cognitionem aliquam dici directam. Primò, vt opponitur obliquæ; de quâ egimus *Diuis.* 3. Secundò, vt opponitur reflexæ: de quâ modò.

Diuisio 10.

57 Deinde intellectio accepta vniuersum, in vniuersalem, vagam, & singularem. Tum etiam in incompleam, & complexam. Necnon in copulatiuam, & distributiua diuidi potest.

Imprimis enim intellectus noster sub vnico conceptu obiecti, & consequenter per vnica intellectiōnem, aut potest concipere plura determinatè, & diuisiue, aut plura determinatè, & collectiue: aut vnum determinatè; aut ex pluribus extremis aliquod vagè; hoc est vnum, vel aliud, vel aliud sub distinctione. Ex quibus prima intellectio erit vniuersalis: secunda, & tertia singularis. Quarta vaga. Quæ etiam particularis, sicut propositio vocalis, cui correspondet, dici solet. Quomodò autem intellectio indefinita ab istis omnibus diuersa non sit admittenda, *inferius quest.* 3. *consect.* 4. ostendimus.

58 Deinde intellectus noster sub pluribus conceptibus obiecti, & consequenter per plures intellectiōnes saltem partiales, iuxta doctrinam *quest.* 3. *consect.* 2. tradendam, aut potest concipere plura determinatè, & diuisiue (siue ea inter se realiter, siue per rationem tantum distincta sint). Aut potest concipere plura determinatè, & collectiue (subrogatis scilicet indiuisim pro pluribus obiectis intelligendis pluribus Phantasmatis, iuxta doctrinam tradendam *dicta* q. 3.) Aut potest concipere plura sub distinctione (subrogatis pluribus phantasmatis pro aliquo eorum pluri vagè.) Ex quibus intellectiōnibus prima sicut & vniuersalis, cui æquiuallens, distributiua est. Secunda est copulatiua,

& ex suo genere singularis æquiuallens illi, quam secundo loco *n. preced.* posuimus: ambæ quippe singularem quandam multorum collectionem habent pro obiecto. Tertia denique distinctiua est, æquiuallensque vaga. Quæ omnes præterea complexæ intellectiōnes sunt, sicut & incomplexæ, quas recensimus *n. preced.* Vniuersaliter enim, quoties conceptus obiecti tactus in se immediatè per intellectiōnem est vnicus, intellectio dicitur simplex, seu potius incomplexa: complexa verò, quando plures. Omnis autem intellectio simplex ex parte obiecti in nobis ex parte actus est etiam simplex, siue vnica, quemadmodum, quæ complexa est ex parte obiecti; ex parte actus etiam complexa euadit, siue coalescens ex pluribus saltem partialibus prout ex dicendis *quest.* 3. *consect.* 2. *citat.* competum fiet. De quibus omnibus plura in sequentibus sunt dicenda. Ex quibus illa magis conspicua euadent.

Diuisio 11.

Præterea intellectio humana in abstractiuam, 59 & intuitiuam diuidi solet.

Dicitur abstractiua, quæ, vel habetur per species alienas, quodcumque sit eius obiectum; vel abstracta, siue præcindit aliquo modo vnica obiecti veritatem ab aliâ, quæcumque demum sint species, per quas illa concipitur. Inuitiua verò vocari solet, quæ, vel per species proprias habetur; vel insuper circa suum obiectum prout actu existens, aut etiam prout præfens versatur. De quo plura *suo loco* dicenda sunt.

Diuisio 12.

Postremò dubium, seu dubitatio, aut hæsitatio, 60 formido, suspicio, coniectatio, scrupulus, opinio, scientia, & fides, species quædam intellectiōnis humanæ sunt, quas breuiter oportet exponere.

Bifariam potest intellectus humanus de obiecto sibi proposito dubitare, seu hæsitare, negatiue videlicet, & positiue. Negatiue dubitat, qui circa propositum obiectum anceps hæret, neque alterutri contradictionis parti assentiri potest; eo quod ex vi præsentis propositionis neque ad assentiendum obiecto, neque ad dissentendum apparet sufficiens fundamentum. Positiue autem dicitur dubitare, qui de obiecto sibi proposito iudicat esse dubium, id est, expers idoneo fundamento, vt ei assentiatur intellectus, vel dissentiat. Ex quo apparet dubium aliud esse negatiuum, aliud positiuum, & quid vtrumque sit. Expedit tamen adnotare vtrumque aut prudens, seu probabile posse esse, aut imprudens, seu temerarium. Imprudenter hærebit anceps, seu dubitabit negatiue: qui ante prudentem discussionem, examēque eorum omnium, quæ ad iudicandum de veritate obiecti possunt conducere, conatur nihilominus, in cassum tamen, de eâ iudicium ferre. Prudenter verò, qui tali discussione præmissâ, nihil adhuc habet, quo possit ad assentiendum obiecto, aut ad dissentendum illi determinari. Positiue autem prudenter dubitabit, qui probabiliter iudicauerit obiectum esse dubium. Temerè verò, qui improbabiler, iuxta dicenda de probabilitate, improbabilitateque nostrorum actuum *inferius diff.* 6.

Formido ad intellectum pertinens dicitur ille 61 actus, quo quis determinatè assentiens alteri parti contradictionis

contradictionis reflexè iudicat se forsan in tali actu falli, seu possibile moraliter esse, vt in tali assensu fallatur, eo quod similes assensus frequenter solent falsi euadere. Dicitur autem formido tale iudicium, quia ex illo solet voluntas excitari ad timedam, seu formidandam falsitatem iudicij directi. Quo iure etiam apprehensio simplex dictæ falsitatis determinatiua ex se ad illud, potest formido nuncupari, quia ex eâ etiam prædictus timor voluntatis solet oriri. Ob eandemque omnino rationem potest, & solet dici formido iudicium aliud, quo, quis assensuens alicui parti contradictionis, de altera parte iudicat esse verissimilem, seu forsan veram, id est, moraliter esse possibile, quod vera sit, quæ duo iudicia compatible sunt. Adde viuandam etiam contradictionis partis apprehensionem determinatiuam ex se ad prædictum iudicium formidinem appellari posse, quod ex eo item potest, aut etiam solet oriri in voluntate timor, ne talis pars sit vera.

62 Suspicio autem dicitur ille actus, quo quis sine iudicio determinato de veritate obiecti, iudicat illud forte esse verum, seu, quod in idem recidit, possibile esse moraliter, quod illud verum sit, siue illud verissimile esse siue apparentiam habere veri, eo quod, quæ sic apparent, frequenter solent esse vera.

63 Coniectatio verò strictè sumpta suspicio quædam est, quâ iudicatur aliquid ex propositis iudicijs, & coniecturis verissimiliter inferri, seu verissimile esse, quod talia indicia cum tali quopiam connexa sint. Solet tamen etiam coniectatio vocari illatio tenuis concepta ex leuibus fundamentis, quæ coniecturæ nuncupantur. Quippe omnis intellectus assensus aut tenuis, aut firmus, magisque, aut minus potest esse pro qualitate fundamentorum, quæ ad iudicandum mouent, aut ex terminis, aut illatiuè.

64 Ex his determinandum venit, quidnam sit scrupulus in rebus moralibus pertinentibus ad conscientiam, vbi potissimum locum habet hæc vox. Primum enim appellatur scrupulus quæuis formido ex supra dictis, quâ qui determinatè iudicat opus aliquod esse bonum moraliter, vel saltem non malum, aut suspicatur se falli, vel opus malum esse, aut aliquid horum apprehendens apprehensione ex se inductiua ad talem suspensionem timet, & anxietur, ne vel in peccatum incidat, si opus vt faciendum concipitur, vel iam incidit, si opus concipitur, vt factum. Vnde cum tali scrupulo iudicium rectum de honestate operis compatibile est, vt bene notarunt Vazq. 1. 2. disp. 67. cap. 2. Thom. Sanc. in summ. lib. 1. cap. 9. n. 2. Ioan. Sanc. in select. disp. 41. n. 2. Gran. 1. 2. cont. 2. Tract. 12. disp. 5. n. 1. & alij. Potest tamen suspicio de malitia operis, aut eius apprehensio ad talem suspensionem ex se determinatiua seorsim concipi cum timore, & anxietate animi; quo pacto etiam scrupulus appellatur. Secundò, iudicium temerè conceptum de malitiâ operis, quod subinde iudicium improbabile, seu imprudens est, scrupulus appellari solet, maximè, quando tenue est, & infirmum, eo quod ex fundamento leui ducit originem. Hic autem scrupulus cum recto iudicio contrario de operis honestate componi non potest, quia intellectus non potest simul iudicare de eodem obiecto sub eisdem circumstantiis concepto bonum esse, & malum moraliter. Vnde absque depositione talis scrupuli fas non est operari. Tertio, dubium seu positium, seu negatiuum circa malitiam, vel bonitatem operis temerè habitum, aut sine idoneo fundamento conceptum scrupulus iure vocatur: cum quo etiam determinatus assensus

de honestate operis componi nequit, quia nequit idem intellectus simul iudicare esse obiectum honestum, & anceps circa eius honestatem hætere; aut iudicare dubium esse vtrum honestum sit. Ex quibus liquet, quot modis dicatur scrupulus; quotque modis vocari possit conscientia scrupulosa. De quibus omnibus latius egimus Tract. de conscientia.

Denique opinio iudicium est probabile, & prudens de altero ex extremis contradictionis compatiens secum prudentem formidinem, siue suspicionem de opposito: aliundèque, quàm ex alterius testimonio conceptum. Iudicium enim conceptum ex testimonio alterius eius obiectum testificantis dicitur fides. Scientia verò actualis strictè sumpta dicitur iudicium euidens excludens aduersam formidinem, præsertim quando non ex terminis ipsis, sed medio discursu euidente, ex euidente antecedente concipitur. De quibus omnibus plura suo loco.

65 Possit vltius diuidi intellectio humana sumpta vniuersè ex parte variarum proprietatum, quas potest habere, vt euidentiæ, certitudinis, obscuritatis, probabilitatis, veritatis, falsitatis &c. Verum, quia de his omnibus ex professo tractandum est infra disp. 3. & sequentibus: ideo diuisiones huiusmodi satius est modò prætermittere. Quæmadmodum in ijs, quas dedimus, summarie tantum, ac succinctè multa tradidimus, quod ex dicendis in sequentibus luculentiora consequenter facienda sunt.

QVÆSTIO III.

Quâ ratione intellectus humanus ea insensata obiecta concipiat, quæ per species alienas obiectorum sensorum intelligit?

MIRVM profectò mihi est, quàm pauci hoc punctum examinauerint, quàmque leuiter de illo egerint, qui tetigerunt; cum tamen ab exactâ huius quæstionis resolutione innumerabilium propemodum difficultatum tam Theologiæ, quàm Philosophiæ dependeat resolutio: ob id in eâ resoluendâ impensius mihi modò incumbendum est.

66 Suppono vt certum iam apud omnes, quæcumque intellectus noster in præsentî statu cognoscit, per species sibi acquisitas ministerio sensuum cognoscere, prout supra disp. 1. q. 1. statutum est. Cuiusmodi dumtaxat sunt species accidentium sensibilium, quæ per sensus externos haustæ ad intellectum ipsum vsque perueniunt: quâ ratione latè explicauimus ostendimusque disp. 1. q. 2. Quibus quidem speciebus vtitur intellectus noster, non solum ad intelligenda obiecta sensata, vnde veluti quædam eorum semina suam trahunt originem, quarumque proinde species propriæ nuncupantur; sed etiam ad intelligenda cætera cuncta obiecta insensata, respectu quorum, cum non sint eorum propria semina, non propriæ, sed alienæ species dicuntur.

Deinde suppono, vt apud omnes etiam certum ex dictis disp. 1. q. 3. proposit. 1. Quæcumque intellectus noster concipit per species alienas, consequenter concipere ad instar rerum sensibilium, quarum tales species sunt propriæ; atque ita, dum quidpiam insensatum intelligit, non posse non eum tangere simul aliquod phantasma sensibile, prout experientia